

naturæ per se etiã in unione suis proprietatibus distinctæ citra ullam aliam communicationem. Et licet ex hac hæresi hæreticos sociales velit extricare *Sadeel. d. H. N. C. obj. 13. p. 138.* nihil tamẽ eum efficere patet e *D. Hutter. in Sad. Elench. ad d. l. d. Comm. Id. obi. 3. p. 666. seq. p. 50. seq.* Quid autem ad hæc *Crocus*? *Beza*, ait, justò durius nonnunquam locutus est in *conv. Prut. P. 2. c. 19.* Sed noli, mi *Croci*, rejicere *Genevensia* lumina, Heroes illos maximos, venerandosq; viros, quos inter *Beza*. Vid. *Art. Remonst. Dordr. p. 144.* cave duriores vel incommodiores locutiones horum rejicias, interdicitum id tibi à *Syn. Dordr. sess. 132 p. 247.* cujus, tanquam scripti *Calvin.* primarii, fidei admonitioni, obedire debes, aliàs si contrarium feceris, vide quam apud tuos initurus sis gratiam.

§. 10. Viam deniq; (plura addere chartarum ratio haud permittit) aperit non *Lutheranismus*, ut vult eum *Synod. Dordr. Adm. Neost. c. 8. p. 167. 367.* sed *Calvinismus* *Papismo* in eo, quod in articulis fidei non sequantur Scripturam, sed rationem, ad quam tanq. normam omnia Script. principia dirigunt. Hinc tantæ dictorum corruptiones, tantæ depravationes, tam contortæ expositiones, ut nec *Theod. Beza* veritus verbis Cœnæ Luc 22. solæcismum affingere. (Sed heus, bone Theologe, sicine Script. Sacra ipsaq; Sp. S. verba juxta Grammat. regulas castiganda? Hæc sc. jam est Theologia [habes enim, mi *Beza*, Socios] etiam non infimi subsellii, ut volunt haberi, virorum, ut juxta eosdem in arduis articulis fidei explicandis *Grammaticalia* relicto scopo PRIMO examinati debeant, quibus examinatis postea articuli assumendi. Hic sane non incongruè, quod de *Ludovico Vive* dicitur, locum habere potest *Nibusii de invoc. sanct. c. 2. q. 3.* Solent ii, qui nil nisi Philologi sunt, sicut ultra crepidam suam non sapere, ita *Rhinocerotis* vel certè *Luciani* nasum gerere. Sed hæc obiter. Redeo ad scopum.) Pari ratione *Pontificij* Scripturæ non credunt, (conveniunt ergo sic, si non εἰδικῶς, tamen γενικῶς in eo, quod ambo præter Scripturã aliud quoddã interpretãdi mediũ assumant) eã imperfectionis accusant, quæ nequeat omnes dirimere controversias, *Gretsin colloq. Ratisb. sess. 10.* hinc recurrẽdũ esse, tum ad autoritatẽ Ecclesiæ, *Eccius in L. p.*